

possint lucrari ex eo quod juxta praedictam Concessionem *infra mensem Majum* tantum est elargita. Hinc nonnulli Ecclesiastici viri enixis precibus supplicarunt Sanctissimum Dominum Nostrum Pium PP. IX ut de Apostolica benignitate dignaretur extendere hanc Concessionem ita ut eandem Plenariam, semel tantum acquirendam, fideles vel *infra praedictum mensem*, vel in primo saltem die festo mensis Junii lucrari valeant; et facta per me infrascriptum Sacrae Congregationis Indulgentiarum Secretarium Eidem Sanctissimo relatione, Sanctitas Sua extendit Plenariam Indulgentiam ad primum dumtaxat diem ejusdem mensis Junii, ita ut omnes et singuli Christifideles pium hoc exercitium peragentes, Indulgentiam Plenariam vel *infra mensem Maii*, vel prima tantum die mensis Junii lucrari queant, servatis tamen servandis juxta praecedentem Concessionem. Praesenti futuris perpetuis temporibus valituris absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 8 Augusti 1859.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Colombo Secret.

DCLXXXV.

URBIS ET ORBIS

Cum pia quaedam ac devota praecatio in honorem Beatissimae semperque Virginis Mariae sub titulo *Pietatis* pluribus ab hinc annis typis sit evulgata, cujus initium *Genuflesso ai Vostri Santissimi Piedi* etc. una cum enunciatione Indulgentiarum, quas uti asseritur, sa. me. Pius PP. VII sub die 6 Martii 1809 impertitus est, nullum tamen de asserta Concessione documentum reperiatur, hinc humillimis precibus quamplures Christifideles rogabant Sanctissimum Dominum Nostrum Pium PP. IX ut eandem Indulgentiarum elargitionem dignaretur confirmare, et quatenus opus sit, de novo concedere. Itaque Sanctitas Sua precibus piorum fidelium clementissime exceptis, et ut magis per Orbem Christifidelium devotio erga Sanctissimam Dei Matrem

in dies augeatur, atque ad eam assiduus habeatur recursus, benigne annuit pro gratia; Indulgentiam scilicet centum dierum clementer elargitus est, semel in qualibet die acquirendam ab iis, qui corde saltem contrito ac devote praefatam orationem recitaverint; iis vero Christifidelibus, qui per integrum mensem eandem orationem recitare pro more habuerint, Indulgentiam Plenariam una scilicet cujuslibet mensis die ab unoquoque eligenda in qua vere poenitentes confessi ac Sacra Communionem refecti fuerint, et aliquam Ecclesiam, seu publicum Oratorium visitaverint, et ibi per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, peramanter impertitus est cum facultate easdem Indulgentias animabus in Purgatorio detentis applicandi. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congreg. Indulg. die 26 Martii 1860.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Colombo Secret.

ORAZIONE

ALLA BEATISSIMA VERGINE SOTTO IL TITOLO DELLA PIETA'

Genuflesso a' Vostri Santissimi Piedi, o gran Regina de' Cieli, vi venero col più profondo rispetto, e confesso che siete Figlia del Divin Padre, Madre del Verbo Divino, e Sposa dello Spirito Santo. Voi piena di grazia, di virtù e doni celesti siete tempio purissimo della Santissima Trinità. Voi siete la Tesoriera, e Dispensatrice delle sue misericordie. Il vostro purissimo Cuore ricolmo di carità, di dolcezza, e di tenerezza verso di noi peccatori è l'origine per cui vi chiamiamo Madre della Divina Pietà. Quindi con gran fiducia mi presento a voi Madre nostra amorosissima afflitto, ed angustiato e vi prego farmi sperimentare la carità con cui mi amate, concedendomi, . . . s'è conforme alla Divina volontà, ed in vantaggio dell'anima mia. Deh volgete vi supplico i vostri purissimi occhi verso di me, e di tutti i miei prossimi. Guardate la crudel guerra, che il

demonio, il mondo, e la carne fanno all'anime nostre, e quante ne periscono. Ricordatevi tenerissima Madre, che siamo vostri figli comprati col preziosissimo Sangue del vostro Unigenito. Degnatevi pregar col maggior impegno la Santissima Trinità, acciò ci conceda la grazia onde siamo sempre superiori al demonio, al mondo, ed a tutte le nostre perverse passioni. Quella grazia con cui i giusti maggiormente si santifichino, i peccatori si convertano, l'eresie siano distrutte, gl'infedeli illuminati, e gli ebrei convertiti. Domandate o Madre amorosissima, questa grazia per l'infinita bontà dell'Altissimo Dio, per i meriti del vostro santissimo Figlio, pel latte, che gli daste, per la solitudine con cui lo serviste, per l'amore con cui l'amaste, per le lagrime, che spargeste, e pel dolore, che soffriste nella sua santissima Passione. Otteneteci il gran dono, che tutto il mondo formi un popolo, ed una Chiesa, che dia gloria, onore, e ringraziamento alla Santissima Trinità, ed a voi, che siete la mediatrice. Questa grazia ci conceda la potenza del Padre, la sapienza del Figlio, e la virtù dello Spirito Santo. Amen.

DCLXXXVI.

URBIS ET ORBIS

Extat in Ecclesia S. Mariae vulgo *in Monterone* de Urbe Congregationis Sanctissimi Redemptoris quaedam Pia Archisodalitas pro solandis animabus in Purgatorio detentis quae a sa. me. Gregorio PP. XVI pluribus est Indulgentiis ac privilegiis ditata, inter quae illud praesertim quod Missae quae a quocumque Sacerdote sive Saeculari sive Regulari in suffragium defunctorum Sodalium in Altari praedictae Archisodalitatis celebrantur, eodem gaudeant privilegio ac si in Altari privilegiato celebratae fuissent; quod quidem privilegium ex speciali gratia, a Sanctissimo Domino Nostro PP. Pio IX extensum fuit ad omnes Sodalitates ejusdem tituli eidem Archiconfraternitati jam aggregatas ac in posterum aggregandas. Cum vero ejusdem Archisodalitatis finis sit non modo animabus Sodalium tantum defunctorum juvandi, sed omnium defunctorum fidelium animas a

Purgatorii poenis liberandi, hinc enixis precibus R. P. Brixius Queloz praememoratae Congregationis Sanctissimi Redemptoris Procurator Generalis, ejusdemque Archisodalitatis Generalis Moderator eundem Sanctissimum Dominum Nostrum humillime rogabat, ut de Apostolica benignitate idem privilegium ad omnia et singula Altaria Ecclesiae tam Archisodalitatis quam cujuscumque Sodalitatis sub eodem titulo dictae Archisodalitati aggregatae, ac in posterum aggregandae, pro anima cujusvis defuncti, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit dignaretur extendere. Cum itaque Sanctitas Sua vota Oratoris clementissime excepisset, benigne annuit in omnibus pro gratia juxta preces.

Insuper cum idem Archisodalitatis Moderator exposuisset quod prae laudatus Pontifex Gregorius XVI fel. rec. in concedendis praememoratae Archisodalitati pluribus Indulgentiis suo Brevi diei 12 Februarii 1841 eam injunxisset conditionem, ut Sodales extra Urbem moram trahentes, aliquam respective Ecclesiam, in qua Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, visitarent; atque ex hac adjecta conditione plures Christifideles adscripti, qui vel ruri aut in iis locis morantur, ubi vix Ecclesia, seu publicum Sacellum existit, quin in eo Sanctissimum Sacramentum asservetur, Indulgentiarum acquisitione frustrantur, Eadem Sanctitas Sua, clementer indulset, ut omnes et singuli Christifideles praefatae Archisodalitati adscripti vel aggregati eas omnes et singulas Indulgentias Archisodalitati concessas lucrari possint et valeant visitantes Ecclesiam seu publicum Oratorium etiamsi in eis non inveniatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatum, dummodo tamen caeteras alias condiciones fideliter adimpleant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congreg. Indulg. die 26 Martii 1860.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Colombo Secret.

DCLXXXVII.

GANDAVEN.

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX attentis expositis clementer indulgit, ut licet nulla nova canonica erectio facta fuerit Sodalitatum existentium iis in locis solummodo Dioecesis Gandavensis in quibus Concordatum anni 1801 extendebatur, quaeque ibidem ante illum canonice reperiebantur erectae, et quae ratione tantum ejusdem privilegia et Indulgentias amiserant, si nunc de facto coeteroquin juxta singularum regulas existunt, gaudeant omnibus iisdem privilegiis et Indulgentiis quibus antea potiebantur, et quae forsitan postea usque nunc obtinuerunt sine nova canonica singularum erectione ita ut habeantur tamquam canonice noviter erectae et Sodales pari modo usque in praesens rite ut supra adscripti, habeantur tamquam valide adscripti non obstante Decreto diei 22 Februarii 1847 et Decisione diei 14 Decembris 1857 et dummodo ab unaquaque ex praefatis Sodalitatibus servetur Constitutio sa. me. Clementis PP. VIII quae incipit « *Quaecumque a Sede Apostolica* » Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus aliis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 26 Martii 1860.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Colombo Secret.

DCLXXXVIII.

URBIS ET ORBIS

Cum in Decreto Urbis et Orbis Privilegiorum et Indulgentiarum pro pia Societate Propagationis Fidei diei 17 Octobris 1847 legantur haec verba « *Quique unum insuper Pater, et Ave, cum hac invocatione* » Sancte Francisce Xaveri ora pro nobis « *quolibet idiomate recitaverint* », Sanctitas Sua in Audientia habita ab infrascripto Assessore Sac. Congregationis die 13 Maii 1860 attentis Eidem Sanctitati Suae expositis, benigne annuit ut verba

praedicta, prout jacent, intelligantur, et quatenus opus sit concessit, ut tum unum *Pater*, et *Ave*, tum invocatio « *S. Francisce Xaveri ora pro nobis* » quocumque idiomate recitari possint ad effectum de quo agitur. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulg. die 13 Maii 1860.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
Philippus Can. Cossa Assessor

DCLXXXIX.

URBIS ET ORBIS

Ad Religionis et pietatis incrementum ad mutuam charitatem inflammandam Apostolica Sedes pluribus sive Ordinibus Regularibus Religionibus et Institutis sive etiam Christifidelium Saecularium Archiconfraternitatibus et Congregationibus potestatem fecit alias Confraternitates et Congregationes erigendi et instituendi nec non etiam sibi aggregandi ac Indulgentias, Privilegia, aliasque spirituales gratias sibi concessas communicandi.

Cum autem nulla certa forma vel ratio praescripta fuisset quae in hujusmodi institutionibus et erectionibus vel aggregationibus et communicationibus faciendis servari deberet, Clemens VIII fel. rec. Constitutione quae incipit *Quaecumque a Sede Apostolica* data sub die 7 Decembris 1604 modum praecepit servandum in his peragendis formulam quoque praescribendo, atque inter alia statuit Indulgentias, privilegia etc. tantummodo communicari posse quae nominatim et expresse Societati aggreganti concessa sunt non tamen ea quae per extensionem vel communicationem sibi quovis modo concessa sunt et quidem communicari non sub generali verborum forma vel ad instar sed expresse et in specie atque per dictam formulam ab ipso Pontifice approbatam, quae quidem omnia in eadem Constitutione reperiuntur praeccepta sub nullitatis poena, ut clarius patet ex laudata Constitutione.

Compertum tamen est progressu temporis non ab omnibus adhibitam fuisse hanc formulam neque privilegia neque Indul-

gentias adamussim communicatas quemadmodum Pontifex praeceperat.

Cum insuper statutum fuisset in eadem Constitutione ut institutiones et aggregationes gratis omnino fierent, et tantummodo per Decretum Congregationis Cardinalium sub Paulo V Indulgentiarum moderationi praepositae latum die 6 Martii 1608 titulo expensarum permissum fuisset instituentibus, vel aggregantibus scutum unum aureum recipere et quidem sub poena, inter caetera, nullitatis prout clarius innotescit ex eodem Decreto, attamen cognitum similiter est neque dispositionem hanc ab omnibus servatam fuisse.

Ad dubitationem itaque omnem tollendam super validitate harum institutionum seu aggregationum Sanctitas Sua benigne sanavit institutiones et aggregationes hucusque factas in quibus aliquid ex praedictis desideretur quod perficiendum erat per Constitutionem enunciatae aut Decretum superius expressum, vel contra in iisdem praescripta peractum sit, simulque mandavit ut in posterum formula in hujusmodi erectionibus seu institutionibus seu aggregationibus adhibenda concordet saltem in substantialibus cum illa praescripta a Clemente VIII cujus Constitutionis ad minus praecipua capita in eadem formula inserantur cum variationibus ab Eadem Sanctitate Sua approbatis, cujus quidem formulae exemplar iis praesertim quorum interest communicandum in Actis Sac. Congregationis servari praecipit, et ut Societati aggregatae ab Ordine, Instituto, seu Archiconfraternitate aggregante tradi possit separatim et distincte a formula ac etiam typis impressus Elenchus Indulgentiarum et Privilegiorum ab Ordinario tamen loci recognitus; cujus impressio in hunc tantum finem permittitur etiamsi Indulgentiarum concessionem sint depromptae ex pluribus Brevibus etc. non obstante Decreto S. C. Indicis, et altero Decreto Sac. Congregationis Indulgentiarum explicante et moderante praedictum Decretum Indicis diei 22 Januarii 1858.

Atque hoc Decretum absque ulla Brevis expeditione publi-

cari jussit derogando cuicumque Apostolicae dispositioni in contrarium etiam specialis memoriae dignae.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congreg. Indulg. et SS. Reliquiarum die 8 Januarii 1861.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Colombo Secret.

DCXC.

URBIS ET ORBIS

Cum plures Confraternitates, Sodalitates, Piae Uniones etc. Fidelium canonice erectae reperiantur in quibus loci Ordinarius designaverit Parochum qui ratione muneris quod exercet et pro tempore quo munere fungitur sit constitutus Confraternitatis, Sodalitatis etc. Rector, Moderator, seu quocumque titulo appelletur proindeque facultate polleat ea gerendi, quae ad Rectores spectant et etiam, quatenus in respectiva sodalitate id Rectori tribuatur, fideles adscribendi, Habitus benedicendi et Scapularia, illaque imponendi, Coronas etc. pariter benedicendi juxta facultates ad quamlibet Sodalitatem spectantes pro similibus impositionibus, benedictionibus etc., atque dubium exortum sit circa hujusmodi designationem Parochi libere et auctoritate propria peractam ab Ordinariis, facta fuit relatio SS. D. N. Pio PP. IX in Audientia diei 8 Jan. 1861; et Sanctitas Sua derogando omnibus hucusque circa hanc designationem quavis auctoritate et quovis modo aliter praescriptis benigne sanavit, quatenus opus sit, tales designationes Porochorum nec non acta per ipsos tamquam Rectores et adscriptos per eosdem Parochos, quatenus Rectoris munus, quo funguntur in respectiva Sodalitate, fideles adscribendi sit, valide adscriptos habendos esse declaravit, nec non benedictiones Habituum, Scapularium etc. Coronarum etc. et impositiones etc. ab eisdem factas, prout Rectoribus in respectiva Sodalitate tribuitur, ratas habendas esse concessit. Quoad futurum vero Eadem Sanctitas Sua benigne impertiri dignata est ut Ordinarii locorum libere designare possint, si ita in Domino expedire judicaverint, Parochos pro tempore in Rectores, Moderatores etc. Confrater-

nitatum etc. Non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus. Datum Romae, ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum die 8 Januarii 1861.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Colombo Secret.

DCXCI.

URBIS

MONIALIUM PERPETUAE ADORATIONIS SANCTISSIMI SACRAMENTI

Fidelium Religio ut in Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, in quo Christus Dominus divitias sui erga nos amoris velut effudit, jugiter augeatur, instantibus Superiorissa ac Monialibus Perpetuae Adorationis ejusdem Venerabilis Sacramenti, Eminentissimus Cardinalis Urbis Vicarius sua ordinaria auctoritate, piam quamdam utriusque sexus Christifidelium Unionem canonice in earum Ecclesia S. Mariae Magdalenae ad Montem Quirinalem erexit per Decretum diei 23 Augusti 1858 cum facultate aggregandi fideles Romae et ejus Suburbano tantum suae jurisdictioni subjecto. Nunc vero eadem Superiorissa aedemque Moniales Sanctissimum Dominum Nostrum Pium PP. IX enixis precibus rogarunt, ut de Ecclesiae thesauro praefatae piae Unionis Sodales Indulgentiis ditare dignaretur. Itaque referente me infrascripto Secretariae Sac. Congregationis Indulgentiarum Substituto in Audientia habita die 23 Augusti 1861 Sanctissimus Dominus Noster omnibus utriusque sexus Christifidelibus eidem piae Unioni adscriptis, ac in posterum adscribendis non modo communicavit singulas Indulgentias, quibus gaudent praememoratae Moniales, servatis tamen omnibus et singulis conditionibus injunctis, ut in earum Indulgentiarum Summario a Sac. Congregatione recognito et approbato sub die 1 Martii 1853 exceptis tantum articulis sexto, decimosecundo, decimoquarto, decimoquinto, decimosexto, decimoseptimo, decimoctavo, decimonono, vigesimotertio, vigesimoseptimo, et trigesimo, verum etiam Indulgentiam Plenariam clementer est elargitus in die Receptionis in eandem piam Unionem, dummodo ea die vere poenitentes confessi, ac Sac. Communionem refecti, aliquam Ecclesiam seu

publicum Oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint; ac insuper Plenariam Indulgentiam in Mortis Articulo acquirendam, si rite dispositi fuerint, et Sanctissimum Jesu Nomen corde, si ore nequiverint, devote invocaverint, peramanter impertitus est; facta eis quoque potestate omnes et singulas Indulgentias ut supra elargitas animabus etiam in Purgatorio detentis applicandi. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus Constitutione sa. me. Clementis VIII quae incipit *Quaecumque a Sede Apostolica* etc. coeterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulg. die 23 Augusti 1861.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Archipr. Prinzivalli Substitutus.

DCXCII.

URBIS

CONGREGATIONIS SANCTISSIMI REDEMPTORIS

In Congregationis Sanctissimi Redemptoris Ecclesia vulgo *S. Maria in Monterone* de Urbe pluribus ab hinc annis extat quaedam pia Unio ad levamen animarum in Purgatorio existentium canonice erecta, ac multis jam Indulgentiis et privilegiis ditata, quae ex speciali Indulto sa. me. Gregorii PP. XVI aliis quoque ejusdem tituli Unionibus canonice pariter erectis easdem Indulgentias eademque privilegia communicat tamquam Primaria quae Archisodalitatis titulo jam est insignita. Nunc vero, ut fidelium pietas erga defunctorum animas piacularibus flammis addictas magis ac magis incrementum suscipiat, ex parte Procuratoris generalis praefatae Congregationis, qui generalis Moderatoris praedictae piae Unionis munere fungit, novae et humillimae delatae sunt preces Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX ut nonnulla alia privilegia eidem piae Unioni de Apostolica benignitate indulgere dignaretur. Facta itaque per me infrascriptum Secretariae Sac. Congregationis Indulgentiarum Substitutum Eidem Sanctissimo Domino Nostro de omnibus relatione in Audientia